



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 74. Montgugonum & Blavia expugnata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. LXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1451.*Montguyonum & Blavia expugnata.*

Capta urbe Angli, ducentis suorum & amplius desideratis præcipiti fuga sese ad arcem receperunt; cum vero ibi annonæ penuria premerentur, nec terra nec mari ullus evadendi locus superesset, se dedere statuerunt. Dabatur quidem Anglis vitæ venia, præsidarii vero unanimes capti, simulque omnia, quæ in urbe habebant, victoribus relinquere coacti erant. Firmabantur utrinque deditionis pacta die vigesima quarta Maji. Ceterum Monferrandus potentissimus ejusdem nominis ditionis Dominus, qui & ipse inter captivos numerabatur, sua pacta privatim conscripsit, cui & optio data, vi cujus aut libertatem suam decem millium aureorum pretio redimeret, aut si mallet, quinque quas possederat, urbes præstito fidei sacramento Regi cederet. Præplacuit Monferrandio clientelare obsequium Regi præstare. Hic vero pro innata magnanimitate sua eidem ex quinque illis urbibus tres restituit, ceterarum autem redditibus fruendi copiam concessit, imo & has ipsas quamprimum Burdegala in potestatem Regis redacta esset, eidem omnino reddendas pollicitus est.

X 2

§.LXXV.